

173.

17

DISSERTATIO JURIDICA
sistens

DEI INQVIVISIONEM
IN

ADAMUM & EVAM,
DELINQVENTES

Principiis Juridicis illustratam.

Quam

Indultu Magnifici *J*CTORUM Ordinis

3 1/2

IN

ILLUSTRI ACADEMIA WITTENBERGENSI

PRESIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC CON-
SULTISSIMO,

DN. GODOFREDO NICOLAO

Schleenstein / J. U. D.

Domino Patrono, ac Studiorum suorum Promotore
aeternum devenerando


In AUDITORIO *J*CTORUM

d. 30. April, Anno M. DC. LXXXI.

Placidae Eruditorum disquisitioni
subjicit

4.

ANDREAS Neumann / Zittaviâ-Lusatius.



Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.



VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis ac Prudentissimis

DNN.

CONSULIBUS,
PRÆTORIBUS,

cæterisq;

SENATORIBUS,

Inclytæ Reipublicæ ZITTAVIENSIIUM
gravisimis,

DNN. PATRONIS atq; FAUTORIBUS

*Omni honoris ac observantia cultu
etatem de venerandis.*

Dissertationem hanc Politico-Juridicam

devotâ mente offerre

A. & R.



Justo Jehova Judice iuvante!

Iustus est Jehova Judex, justa quoque sunt ejus judicia. Probavit hoc ab omni seculo ita, ut delinquentes justitiam ejus judiciorum semper agnoverint. Patet hoc in fratricida Caino: qui licet à Deo in jus vocatus, more delinquentium satis audacter initio negasset verb: quis me constituit fratris custodem? Gen. 4. v. 10. agnovit tamen paulò post temeritatem etiam cum desperatione. Sibi ipsi enim indixit pœnam ultimi supplicii verb. Occidet me, quicumque invenerit. v. 14. sed mitiorem tulit, si rem secundum illud Gen. 9. v. 6. spectes. Ne inde aliquod dubium supersit, tenendum, pœnam cit. loc. homicidii indictam esse justissimam, ut se, per idem puniantur, per quod peccarunt, quæ Talionem sapit in hoc delicto æquisimam, licet non in quolibet congruè possit applicari. Cur autem DEUS Dominus hanc delicto fratricida non accommodaverit, ratio ab aliis dari solet, quod humanam societatem tunc temporis adhuc exiguam tollere noluerit: mihi verò hoc fundamenti loco placeat. Scilicet ut delinquentes pœnâ plectantur ipsi intrinseca æquitate conveniens est; quâ verò pœnâ sint afficiendi? Jure Naturali definitum non est, sed Legumlatoribus relictum. Placuit ergò voluntati divine hanc definire d. Gen. 9. ita, ut non certum populum, sicut Leges forenses Israëlitis data, sed omnes homines stringeret, quapropter & in dispensatione hujus delicti omne arbitrium humanum suspensum est, cum in cæteris summa potestas dispensare possit, quia suo arbitrio cæteras pœnas indefinitas moderatur. Hinc dico, aut DEUM Cainum vel ideo ultimo non affecisse supplicio, quia lex pœnalis nondum lata, & inde pœna arbitria erat; vel quod eidem placuerit ex antea citata Politicorum ratio dispensare circa legem, quam fortè jamdudum secum meditatus erat. Ipsum enim DEUM posse circa hanc pœnam dispensare, dubium apud nos non superest, eumque dispensasse semel atque iterum,

A 2

exempla

exempla docent, quorum unicuique adduxisse sufficiat, scilicet, cum Rex David innocentem Uriam interfici curasset. Dixeris fortè, quid opus erat dispensatione, cum nemo hoc admissum sciret, vel de Rege superiorem non agnoscente vindictam sumere non potuerit? Resp. potuisset ipse DEus si voluisset, sicut fecit in Rege Achab, cuius sanguinem voluit, ut eodem loco lamberent canes, quo antè acceperant sanguinem Naboth; sed gratiam fecit Davidi & pœnam in aliud genus commutavit, nempe quam exprimit v. 10. 11. & 12. 2. Sam. 12. Item 14. eod. quæ & ipsa in talione fundatur certo respectu; turpitudine v. quæ sub est, facit ut ab ejus ulteriori deductione abstinemus, cuius implementum vide sis seq. cap. 16. v. 21. & 22. Exemplum verò ejus, ubi pœnâ lege non definitâ, Deus dicitur averit in graviore delicto arbitriam vid. 2. Sam. 24. Cùm enim David fastu inductus fecisset populum numerari pœna in ejuadem personam videbatur dirigenda tantum, sed gratiam hic quoque admisit, relicta eidem electione inter pœnam famis, pestis & exilii, quarum mediam admisit. Non expendam hic, num electio pœnarum ratione delinquentis moraliter locum habeat? quod puto affirmandum; sed illud saltem attingam, quod qui tam arbitrentur, Davidem ex status ratione hanc admisisse, quia eidem infra dignitatem regiam visum fuerit, ab aliis quæ ad vitam necessaria, emendicare, vel hostium arbitrio se committere, periculosum; verum fecit id ex corde seriâ pœnitentiam agente peccatumque agnoscente, in primis quia provocat ad DEi misericordiam, & paulò post, cum vidisset angelum perditorem, pœnam in se provocavit, subditos innocentes excusans, se verò tanquam delinquentem sistens 2. Sam. 24. v. 17. Nec tamen ideo injusta erunt DEi judicia, quod subditi hic passi sunt; illud enim frequenter accidit, quod subditi patiantur propter Principem, & hic per illos, sed pars innocens pœnâ non afficitur. Nam DEus vel exercet Jus sibi in omnes absolutissimè competens, vel semper habet cur punit, quia semper delinquent, ita tamen ut reus principalis passione afficiatur alterius. Conf. Dn. Becm. in med. Pol. differt. de pœn. th. 15. cuius principiis ab Excellentissimo Domino Preside mihi privatim expositis me multum debere lubens fateor. Justa ergò ubique sunt Dei judicia ipseque justus, sæpè tamen & clemens est Judex. Utrumque ostendit in iudicio in primos homines delinquentes habito, quos quidem justissimè condemnavit, remedium tamen simul salutis dedit. De quo Iudicio cùm verba facere, eiq; illa, quæ jure hodierno recepta

recepta accommodare & sic principis juridicis illustrare, animus sit,
inprimis Spiritus Sancti gratiam cœlitus mihi exposco devotis preci-
bus; Deinde quoque abs te L. B. veniam peto, si expectationi tua elab-
oratio fortè non responderit. Cœterum ne res sine ratione procedat,
absolvam hanc dissertatiunculam tribus capitibus. Primum sistat
ipsam Legem ejusque explanationem, & quæ eò ex principis Juridicis
possunt accommodari. Alterum exhibeat processum inquisitorium à
DEO formatum & quæ ex illo eò commodè trahi possunt. Tertium &
ultimum contineat executionem pœnarum & quæ eò spectant.

Veni Sancte Spiritus
Mitte nobis cœlitus!
Lucis tuæ radios!

CAPUT PRIMUM

De

Lege primis hominibus lata.

§. 1.

LEx à DEO lata ante omnia diligenter ponderanda, quia sine
Lege non datur delictum, utpote quod est Legis transgressio
Dn. Beem. Med. Pol. diss. 15. §. 6. Circa quam consideranda
veniunt. I. ejus descriptio. II. causa. III. ratio impulsiva. IV. per-
sona quæ tulit & in quos lata. V. Res de quâ lata. VI. Effectus. VII.
necessarium antecedens & VIII. interpretatio.

§. 2. Legem definimus, *jussum universale*. Jussum dicitur,
quia continet præceptum vel de faciendo, vel de omittendo. U-
niversale verò in discrimen à statutis, mandatis, rescriptis, quia
sc. omnes omninò in Republicâ obligat. Hinc Papinianus *JCTUS*
l. i ff. de LL. vocat: Præceptum commune; quibus subnectit & alia
quædam, quæ tamen potius vel ad modum ferendi Legem, ut
sunt: *Virorum prudentum consultum & communis Reipubl. sponso;*
vel legis efficaciam, quàm essentiam ejus respiciunt; ad quod po-
sterius se referunt verba: *delictorum, quæ spontè vel ignorantia con-*
trahuntur, coercitio. Sive enim spectaveris speciem Legis apud Ro-
manos usitatam, quàm *Responsa Prudentum* dicebant. §. 3. & 8. *Jnst.*
de J. N. G. & C. sive Legem in statu populari latam, quàm verba:

A ;

communis

communis sponſio, innuunt, utriqve tamen inerat juſſum & uni-
verſalitas. Illis quidem ex facultate de jure reſpondendi à Ma-
jeſtate conceſſa, huic quia penes ſpondentes erat tunc temporis
ſumma poteſtas.

§. 3. Hæc deſcriptio apprimè quadrat ad Legem à Deo
latam. Continet enim juſſum prohibitivum, ſc. ne comedas;
eumqve univerſalem. Ablolvebatur quidem genus humanum
tùm duobus hominibus, ſc. Adamo & Eva; interim tamen uni-
verſos comprehendebat. Nec numerus ſubditorum Rempu-
blicam facit, ſed ſocietatis in ſe ſufficiencia, qualis erat omni-
bus partibus perfectiſſima. Deſenſor quippe erat omnipotens
& prætereà deerant alii, qui eandem extrinſecus provocarent in-
juriis, contra quos ut commodè ſeſe defendere valeant, in ſo-
cietates perfectas homines coiverunt.

§. 4. Cauſam legis allegamus *Legiſlatoris voluntatem*.
Ex quâ cadit dubium: Cur tulerit legem? cùm homines creaffet
in ſummâ perfectione, mediante quâ ſeqvebantur ductum ra-
tionis illuminatæ, ita ut lex non videatur fuiſſe neceſſaria: ſi e-
nim ſpectemus Legem, & ſi juſtam, dependere ex voluntate Le-
giſlatoris, multò magis inde dependet, ſi lata de re indifferenti,
qualem eſum pomi fuiſſe arbitramur, antequàm lex de eodem
lata eſſet. Niſi enim Deus excepiffet arborem veritam, edere
& non edere fuiſſet res humani arbitrii. Præceptum autem
prohibitivum fecit rem malam, quæ talis antea non erat, ſicut
permiſſivum eandem facit bonam. Deinde licet homo eſſet
perfectus, relictum tamen eidem erat liberum arbitrium ſc. de-
clinandi, ſi vellet, à viâ recti, ſicut pro dolor! omnium poſte-
riorum detrimento factum eſt. Imò fortè dicendum, Deum de-
diſſe hominibus legem, ut intelligerent, ſe ab eodem creatos,
ipſumqve eſſe eorundem ſuperiorem, cui deberent obſeqvium.
Ex hæc cauſâ dixit Imperator Juſtinianus §. 6. *I. de J. N. G. & C.*
Legem eſſe, *quod Principi placuit*; ſc. eo animo ut legem con-
dat; aliàs non omne Principis placitum legem facit, quod præ-
tereà juxta normam juſti & æqui, inprimis verò utilitatem Rei-
publ. ejuſqve expedientiam debet eſſe conceptum, quia leges
in ſecuritatem & utilitatem publicam latæ ſunt, & prout expe-
dit

dit, pristinae confirmantur, mutantur, abrogantur & novae in locum illarum substituuntur.

§. 5. Patet ex his causam impellentem DEUM, esse incertam vel planè nobis incognitam. Nec enim necesse est, ut subditi hanc percipiant, sufficit Legislatorem habuisse rationem, eum Legem conderet, quod & semper praesumendum, licet non innotescat singulis. Hinc fit, quod Princeps priores Leges abroget & novas substituatur, quas videt necessarias & magis expedientes. Et contingit hoc ferè toties, quoties persona Principis mutatur. Ex hoc capite Leges forenses & ceremoniales Reip. Judaicae latae, ab usu fori nostri recesserunt, vel si ex parte valent, idè valent, quia vel confirmatae novâ sanctione, vel usu receptae sc. quia moderatores Rerum publicarum intellexerunt easdem statui nostro esse conformes. Nam & Serenissimi Duces Saxoniae Electores tot novas condiderunt, ut integrum corpus, quod Saxonici Juris appellamus, constituent. Quarum omnium rationem reddere impossibile arbitramur, licet nulla sine ratione lata sit.

§. 6. Persona, quae fert legem, illa est, quae personam moralem Reip. repraesentat. Penes Rempublicam enim est illa summitas, quae potestatem legislativam comprehendit. Fit autem hæc repraesentatio regulariter tribus modis: 1. ab uno, qui idè audit Monarcha, quia solus imperat & ea facit, quae ad Reipubl. pertinent. 2. ab uno pluribus, illis tamen paucis, quae repraesentatio dicitur Aristocratia, 3. ab omnibus in Reipubl. existentibus, quae Politiae seu Democratiae nomine venit. Quaecunque autem repraesentatio fuerit, legislativa tamen potestas ad repraesentantes pertinet. Possumus hoc comprobare exemplo Reipubl. Romanae & quidem quoad primum & postremum propriè, quoad medium analogicè. Nam primò Reipubl. repraesentabant Reges, & idè condiderunt quoque illi, quae tamen mutato statu cum iisdem ejectae sunt. Posthinc repraesentabat totus populus, cujus auspiciis species juris scripti lata, quam Legem dixerunt §. 4. *Inst. de J. N. G. & C.* Analogicè Senatus tanquã Optimates repraesentabat Reip. in Senatus Consultis, sicut & Juri, quibus de jure respondendi potestas data e-

eat § 5. & §. 8. d. 1. Hanc nostram tulit Monarchiarum summus & sanctissimus, qui non repræsentat aliam quendam personam moralem, cum dependentia nullo modo in ipsum tanquam ens perfectissimum cadere possit; sed potius quem omnes Reges seculi certo respectu repræsentant.

§. 7. Personæ, in quas feruntur, sunt subditi, ex relatione ad imperantes, sc. illi, qui intelligunt legem latam esse. Unde excipiuntur Furiosi, infantes & si qui similes sunt, qui intellectu carent. Peregrini verò legibus subjiuntur, dum sc. commorantur in loco, quia & tutelam magistratus, re exigente, implorant. Unde vulgatum: Si fueris Romæ Romano vivito more. Nostra lex lata est quidem duobus hominibus tunc existentibus, sed comprehendit eorundem universam posteritatem, sicut hodiernum homines in Republ. nati æq; ad observantiam legum obstricti sunt, ac si suo tempore latae essent. Legis enim universalitas & durationem involvit, sc. talem, qualem Reipubl. status permittit, & donec vel non usu, vel contrariâ consuetudine aut lege fuerit sublata. Est verò subditorum natura ita comparata, ut imperantibus debeant obedientiam, exceptis iis, quæ naturalem turpitudinem redolent, quia ad talia non datur obligatio *arg. l. 15. ff. de condic. instic.*

§. 8. Res de quâ lex concipi solet vel est in se justa, vel naturaliter turpis, vel indifferens. In se justa lex frequentius solet præcepto de faciendo, turpis verò prohibendo corroborare. Utriusque exemplum sistunt Leges Decalogi; quæ præcipiunt illa, quæ per se bona & honesta; prohibent verò quæ turpia. Sic DEUM colendum esse priora tria volunt præcepta, quod & ex rationis lumine notum. Item parentes honorandos esse, quartum exprimit, *conf. l. 2. π. de J. & J.* Neminem verò lædendum, quintum, septimum, octavum, nonum & decimum comprehendit; honestè vivendum, sextum involvit. Placuit igitur Deo confirmare ea expressâ sanctione, quæ etiam extra hanc quemlibet hominum obligaverant, idque vel ideò, ut eò melius explicentur hominibus, vel ut declararet, seriam esse ejus voluntatem, ut talia quam diligentissimè custodiantur. Quas causas putamus reddendas, si hodiernum legibus inserantur, quæ ex legibus divinis aliàs innotescere possunt. De re indifferenti monuimus jam §. 4. eandem fieri prohibendo turpem

pem, permittendo verò bonam, qualem hic in nostrâ lege fuisse notavimus d. §. 4. Quantitatem rei non attendimus; licet enim minima sit, æq; tamen lex stringit, ac si de maxima lata esset. Imò quò minor res de qua, eò major contemptus legislatoris, quia subditus facile obtemperare potest. Ita res minimi momenti videtur fuisse esus pomi, quam præceptum prohibitivum fecit maximam. Similia exempla legum de re minimâ occurrunt in re militari, ubi vestigium extra viam posuisse sæpè capitale est. Quod ideò fit, quia disciplina militaris eo modo conservari debet, quæ totius exercitus quasi anima, quâq; cadente, militare corpus facile solveretur.

§. 9. Effectus Legis est obligare subditos ad obedientiam & in casu legis neglectæ ad pœnam, eamq; vel lege definitam vel arbitrariam, quoties sc. eandem lex intactam reliquit. Inter hæc subdito quasi datur electio, num secundum Legem facere, an verò pœnæ se subicere velit. Lex enim præcisè neminem cogit, sed saltem necessitatem sub comminatione pœnæ injungit. Ita quotidie videmus delinquentes à lege deflectere, quod non facerent, si coacti legem sequerentur. Hanc tamen obedientiam se debere legi, quilibet in conscientia sentit, quippe quam primum contrâ fecerit, forum interius dicitat, se malè fecisse & pœnæ obnoxium esse. Ex quo dimanat principium, Leges positivas obligare etiam in conscientia, quæ nihil aliud est, quàm interius hominis judicium, quo de actionibus propriis judicat, & an bonæ, an verò malæ ipse intelligit, quandoq; tamen propter diversa principia concurrentia tantisper fluctuat. Si verò lex tale quid præcipiat, de quo quis in conscientia adeò certè convictus est, turpe esse; svasor essem ut abstineat & potius quid adversi in se admittat, quàm in conscientiam peccet. *Dn. Becm. diff. de Leg. §. 2.* Quin hæc lex Adamum & Evam obligaverit etiam in conscientiâ, & Justitia Legislatoris & potestas ejus dubitare non sinit. Non enim præsumendum ullo modo DEum imperare, quibus si obedientiam præstemus, lædamus conscientiam, in intrinsecam enim DEi bonitatem nihil mali cadere potest. Prætereà ejus est etiam conscientis imperare, qui per omniscientiam intima cordis humani cognoscit & de iis in extremo judicio judicaturus est. Utinam primi

B

parentes

parentes libero arbitrio melius usi essent, legiq; obedientiam non denegassent, quanta futura fuisset humani generis felicitas!

§. 10. Legis necessarium antecedens est *eiusdem promulgatio*. Quâ ratione enim posset subditus obligari ad ejus observantiam, nisi prius legem habuerit cognitam. Hinc docent Politici, expedire Reipublicæ, si LL. sint succinctæ, sc. ut subditi eò facilius easdem intelligere & memoriâ tenere possint. Ex hoc fundamento Imperatores Valentinianus & Marcianus *in l. 9. C. de LL.* volunt, ut Leges ab omnibus intelligantur, præmissâ quasi ratione decidendi, *quia constringunt hominum vitas*, additâq; intentione finali, *ut inhibita declinent, vel permissa seclentur*, & ne ullus quispiam ignorantia Juris se excusare valeat *l. 12. C. de jur. & fact. ignor.* quam ante promulgationem Justinianus dicit justissimam, *arg. Nov. 66. c. 1. in f. princ.* Præterea etiam, ne de legis cognitione ullum dubium superesse possit, addidit *d. N. c. 1. pr. ee. §. 3.* duos integros menses, per quos legis efficacia quasi in suspenso sit, quod tempus tamen simul sufficiens judicavit, quo omnibus lex innotescere possit. Hodie frequentius legi tempus, quod ex arbitrio Legislatoris dependet, addi solet, quo elapso lex omnes obstringat. Facile inde patet, ad retro acta Legem pertinere regulariter non posse, quia nondum promulgata, nisi adjectum fortè fuerit, causas certas etiam peractas juxta legem judicandas esse *ar. §. 4. d. N. 66. L. 7. C. de LL. Nov. 7. c. 1. circa f.* Nostra lex ab ipso legislatore publicata est ore tenus, neq; erat causa, cur obligatio ejus non in continenti existeret, quia pauci erant tùm quibus data, quosq; legislatoris intentio latere non poterat. Permittebat enim fruitionem omnium fructuum & simul excipiebat arborem agnitionis boni & mali *vid. Gen. 2. v. 16. & 17.* Ecce legem perspicuam, brevissimam & ab omnibus intellectam. Hinc in judicium vocati, legis ignorantiam non prætere potuerant, sed aliam excusationis causam allegabant, de quâ infra suo loco.

§. 11. Restat consideranda legis interpretatio. Hanc communiter faciunt triplicem: Authenticam, Doctrinalem & usualem. De duabus posterioribus hic agere nunc non vacat: Priorem quod attinet, soli Majestati eam competere dicimus, allegantes rationem *ex l. ult. C. de LL. verb: Quis legum anigmata solvere &*
omnibus

omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi is, cui soli Legislatorem esse concessum est. Quod multò magis finalia verba comprobant, ubi dicit: Majestatem Imperialem veteris Juris Conditoribus facultatem interpretandi concessisse, ita ut omnis facultas interpretandi Leges ex fonte Majestatis derivetur. *Conf. l. 9. vers. si quid. C. de LL.* Lex à DEO lata adeò perspicua est, ut explicatione opus non videatur habere. Siquidem continet 1. permissionem de fructibus percipiendis ex arboribus non exceptis. 2. prohibitionem ratione exceptæ *d. Gen. 2. & 3.* pœnam in delinquentes, sub quâ tamen aliquid latitabat, quod postea applicando eam expressit, nempe antecedentia mortis, quæ ex inferius dicendis clariora erunt, ubi de pœnâ agendum.

§. 12. Hæc sunt, quæ ex principiis juridicis ad Legem à sanctissimo Legislatore latam, applicare volui. Potuissem equidem plura accommodare, vel hæc latius deducere, sed ne dissertatio excrescat nimium quantum, abrumpo, puto enim Dominos Opposituros in his & seqq. facile invenire posse, quæ dissentienti an- sam probeant. Confero me itaq; ad

CAPUT SECUNDUM

De

Processu Inquisitorio Contra Delinquentes Adamum & Evam.

§. 1.

Legem excepit ejusdem transgressio s. delictum, cujus considerabimus hic I. antecedentia, II. ipsum factum. III. inde secutum processum inquisitorium, & quæ ejus occasione adduci poterunt, usq; ad sententiam.

§. 2. Antecedentia delicti sistit *cap. 3. Gen. à principio usq; ad vers. 6.* quibus comprehenditur causa movens homines ad delictum perpetrandum, quæ partim est serpens, partim ratio status hominum depravata. *Dn. Beckm. Med. Pol. diff. 3. §. 6.* Qualis fuerit serpens, negotium faciunt circumstantiæ Eruditis *d. c. 3. Gen. adjectæ.* Fuisse enim animal à DEO creatum evincit primo comparatio cum cæteris animalibus *vers. 1.* quæ repetitur *v. 14.* & deinde

B 2

eidem

eidem indicta poena *cit. v. 14.* ubi iussus ventre incedere & terram comedere, quod hodiernum in serpentibus apparet. Econtra verò per serpentem intelligi diabolum, probat *primo* attributa eidem loqvela & ratiocinatio, quæ in animal brutum non cadunt: *Deinde* inimicitia inter semen mulieris sc. benedictum s. Messiam; & semen serpentis, nempe diabolum cum suis infernalibus copiis *v. 15.* Quibus *ultimò* accedit, quod diabolus in Sacris nomine serpentis appelliretur *Apoc. 20. v. 2.* Nostra sententia redit eò, quod diabolus sub serpente latitaverit & ad peccandum homines induxerit, quod ex poenâ evincimus, quæ partim stringit diabolum *d. v. 15.* partim instrumentem ejus, serpentem. *v. 14.*

§. 3. Præterea rationem status induxisse hominem ad peccandum diximus §. 1. Est verò ratio status conformitas cum statu singulorum *Dn. Beckm. d. diff. 3. § 7.* & consistit in promotione commodi §. 8. *ibid.* de quo ut eò facilius diabolus persuaderet hominibus, primo in dubium vocat Legem à DEo latam *v. 1. verb. Ja solte Gott &c.* Videtur alius antea intercessisse inter perditorem & innocentem mulierem discursus, quem Spiritus Sanctus insuper habuit; fortè enim prædicavit felicitatem hominum, quod in usum ipsorum creata essent omnia, inprimis savoritatem arborum earumq; fructuum. Et cum Eva quandam præcepto divino exceptam esse dixisset; simulat quasi nescius præcepti *di. verb. Ja solte Gott &c.* nec tamen vetitæ mentionem facit, quò melius ignorantiam simulare, & de lege eò liberius, quasi dubiâ judicare posset. Nam secutum inde, ut Mulier legem clarius serpenti explicaret *vers. 2. & 3.* Ad quod diabolus ob oculos rationem status ponit, *primo* removendo malum, quod morituri sint, audacter negando *vers. 4.* deinde commodum recensendo, augmentum sc. status: Eritis DEo similes *v. 5.* quò induxit non saltem, ut intueretur in arborem, sed & comederet *v. 6. verb. weil Er flug machte.* Quæ status ratio meritò à *Dn. Beckm.* vocatur spuria *d. l. §. 2.* quia legi divinæ contraria §. 7. *in. f. ibid.*

§. 4. Spe itaq; amplioris fortunæ ceciderunt primi homines. Postquam enim peccasset mulier, facilè erat & maritum eo inducere, blanditiis fortè, ut & ipse ederet. Sicut hodiernum mulieres viros Sardanapallos. nescio ad quid, blandimentis inducunt,

cunt, & uno sociorum peccante, ceteri facile sequuntur. Potuit præterea diaboli pœnæ negatio *vers. 5.* aliquid apud ipsum operari quia non viderat edentem uxorem mori, Dominus verò prædixisset, quo die comederis, morte morieris *Gen. 2. v. 17.* Transgressi ergò sunt uterq; hominum legem & quidem ita, ut eandem applicare ad factum, nullum negotium faciat. Dixerat enim Legislator de certâ arbore *d. Gen. 2. v. 17.* In hanc peccarunt. Dixerat de esu vitando, sed contra fecerunt uterq;. Prædixerat pœnam; plus crediderunt diabolo quàm Domino. Si fortè fructum saltem decerpissent, dubium fuisset, num pœna lege expressa ad delictum quadrare potuisset. Nunc nullum dubium superest, prout lex prohibuit, ita ipsi contra legem fecerunt, unde Judex optimo Jure ad inquisitionem procedere potuit, de quâ in sequentibus agendum.

§. 5. Ut verò Inquisitioni locus sit, criminalistæ delictum gravius & manifestum, quo Reip. tranquillitas læsa est, requirunt, quò etiam LL. coërcitio maximè respicit. *Carpz. Prax. Crim. Part. 3. q. 107. n. 22. & 23.* Deinde ut nullus existat accusator, quo litem reo intendente, inquisitio cessat *idem ibid. n. 35. & seqq.* Tandem ut reus sit præsens contra quem inquisitio instituenda. *cit. loc. n. 62.* quia absens nec respondere, nec condemnari inauditus potest. Hæc tria & ad statum nostri delicti accommodare convenienter possumus. Delicti enim gravitas æstimanda ex contemptu legislatoris, qui delictum longè gravissimum esse censuit, cui pœnam & præsentis & futuri seculi indixit. Sic nullus erat accusator inter homines, cum plures, quàm ipsi delinquentes, non existerent, nisi fortè ipsum diabolum talem apud DEUM fingas, qui tamen in judicio non comparuit, nisi tanquàm delicti locium præsupponamus. Tandem præsentibus quoq; erant contra quos Inquisitio formanda. Quæsi verant quidem post delictum perpetratum latebras, verùm ad in jus vocationem comparuerunt & sui copiam judicis fecerunt.

§. 6. Ad Inquisitionem ritè perficiendam *d. Carpz. q. 107. à n. 72. ad 78.* septem requirit sequentia I. Certitudinem facti. II. Judicem competentem. III. Rei capturam IV. articulorum conceptionem. V. Probationem contra negantem. VI. Rei defensionem

VII. Transmissionem actorum ad ferendam sententiam, quæ omnia ultimo loco & processu Inquisitorio peracto, sequitur ipsa executio de quibus postremis caput sequens videndum. Juxta hæc quantum circumstantiæ patiuntur & nostrum processum inquisitorium ex aminabimus.

§. 7. Certitudinem facti vel ideò necessariò requirimus, quia si Judici de delicto non constet, unde inquirendi causam sumat? cum pro quolibet militet præsumptio, quod bonus sit. Hinc aliam inquisitionem faciunt generalem, quâ in summâ quæritur de certitudine facti, quod corpus delicti vocant. De quo si certus sit Judex, tunc necesse est, ut de authore ejus s. delinquente sollicitus sit, & sic sequitur Inquisitio specialis, sc. quæ contra certam personam directa est. Certitudinem autem corporis delicti *Carpz. q. 108. n. 9.* in f. facit triplicem, *Unam* ad effectum inquirendi, *alteram* ad torturam reorum; *tertiam* ad condemnationem. Ad primam requirit leviora indicia *n. 10.* ad alteram graviora & indubitata *n. 18. inf. allegans Ord. Carol. art. 8.* ad tertiam liquidam & certissimam de delicto perpetrato cognitionem *n. 25. & 26.* quæ differentia ex rei probandæ & perficiendæ gradu dependet. Minus enim est contra aliquem inquirere; plus per torturam interrogare: longè maximum verò inquisitum condemnare, ita ut sine perfectissimâ certitudine de corpore delicti ad pœnam capitalem procedere nullo modo possit, nec confessio rei sufficiat. *d. q. n. 26. & 27.* Præter hæc notanda hic differentia inter delicta facti permanentis & facti transeuntis: Illa dicuntur, ubi delictum relinquit post se aliquid ex quo constat factum esse; v. g. homicidium patet ex corpore occisi, incendium ex ædibus combustis: Hæc, ubi nihil superest, quod possit docere delictum factum esse. v. g. Ad ulterium, incestus & simil. De prioribus optimè constat de probatione per inspectionem Judicis legaliter factam; de posterioribus per testes & ex confessione rei aliis indiciis munita constare sufficit. *d. q. 108. n. 36.*

§. 8. Indicium quod hic Legislatori suppeditavit certitudinem facti est ejusdem omniscientia, quæ etiam commovit eundem ad inquirendum tam inquisitione generali, quàm speciali. Licet enim videatur die in vespertinum tempus inclinante in hortum quasi

quasi rediisse v. 8. d. Gen. 3. cave tamen credas DEUM unquam ul-
lo in loco non esse vel unquam fuisse absentem, quippe oculus e-
jus etiam abscondita scrutatur videtq;: sed loquitur scriptura de
DEO sæpius hominum more, ut hominum ad captum eò melius
se se accommodaret. Vidit itaq; DEUS cum Eva manum ad pomum
dirigeret, audivitq; præcedens cum serpente colloq̄um potuif-
setq; delinquentes in continenti coërcere, sicut perdidit Usam la-
bantem DEI arcam apprehendentem 2. Sam. 6, v. 6. & 7. sed noluit
inauditos condemnare. Potuisset prætereà justissimo judici sup-
peditare indicium perpetrati delicti delinquentium fuga d. v. 8.
Cujus causa erat delictum & inde cognitio nuditatis secuta v. 7.
Hæc antè nota imperfectionis non erat, neq; propterea, quod nu-
di essent, aspectum DEI evitabant Gen. 2. v. ult. ast peccato com-
misso eandem tanquam turpem tegebant. d. v. 7. Conf. Levit. 18. Ita
hodiernum fuga contra fugientem facit indicium. Carpz. Prax.
Crim. p. 2. q. 60. n. 28. & 31. sc. ad capturam id. q. III. n. 35. imò ali-
is concurrentibus indiciis ad torturam art. 25. §. ult. Ord. Crim.
idem q. 120. n. 64. Quæ tamen & interdum excusanda, quia difficil-
e ex carcere respondere, modo reum sublevent præsumptiones
pro eodem militantes, cui & interdum juramentum purgationis
deferri solet teste eod. cit. q. 120. n. 69. & 70. Hic certè causa non
erat, cur DEUM fugerent, nisi delictum commisissent, quapro-
pter & certissimum indicium potuisset esse Domino, nisi per
omniscientiam delictum satis habuisset cognitum. Utrum ad deli-
cta facti permanentis an verò transeuntis sit referendum, in ut-
ramq; partem dubitari potest, præferamus hic posteriorem prio-
ri, sc. facti transeuntis fuisse.

§. 9. Inquisitionem generalem excepit specialis sc. contra
delinquentes directa. In quâ primum locum tenet *Citatio v. 9. A-*
dam, ubi lates? Quæ citatio in processu criminali, præsertim or-
dinario, primum fundamentum est, & si causæ satis prægnantes
sint, cur in civilibus citatio adhibenda, longè prægnantiores e-
runt in criminalibus, quò majus in his vertitur periculum. In pri-
mis in processu bannitorio Legalis requiritur, ita, ut si unicus
dies desit, reus, licet emanserit, pro contumaci non habeatur
Carpz. q. 140. n. 64. quæ reo vel per subsidium insinuenda, vel si la-
cite

titet in tribus diversorum Dominorum territoriis publicè affigenda, quam Edictalem vocant. *d. l. n. 66. & seq.* In processu inquisitorio citatio emanare non solet, ne reus certioratus fugam apprehendat, sed solet Judex plerumq; verbaliter per ministrum levioribus indiciis existentibus delinquentem ad se in iudicium vocare ibiq; causam ex abrupto exponere, ex quo fit, ut reus sæpè plura edat, ex quibus tutò ad incarcerationem procedere possit. *Carpz. q. iii. n. 38.* Quandoq; cum certis indiciis vel testibus gravatus delinquens & de fugâ suspectus est, mittit apparitores, qui reum apprehendant & in custodiam deducant, quæ citatio realis dici solet.

§. 10. Hic non opus erat citatione solenni, quia processus erat summaris & inquisitorius. Nec debebat esse Edictalis, quia licet rei delinquentes sese absconderant, faciem tamen DEI effugere non poterant. Neq; subsidiaria, quia Judicis territorium comprehendit universum mundum. Ita quoq; realis non erat necessaria, quia vocati præstò erant. Placuit igitur adhibere verbalem, quam non per ministrum Angelum, sed propriâ voce expediebat: Adam ubi lates. Prout hodiè interdum accidit, ut reus in iudicio præsens sit, cum crimen iudicii defertur. Quo casu ipse partes in jus vocantis sustinere solet. Imò si delinquens in loco iudicii præsens sit, non opus erit eundem compellare, sed statim ad examen iudex potest progredi, exemplo DEI adversus Evam, quæ tanquam individua sociâ simul comparuerat, quam sine ulteriori vocatione examinavit vid. seqq.

§. 11. Judicem competentem in causis criminalibus & forum & potestas facit. Forum competens delinquens habet hodiè I. Domicilii, quod plerisq; causis commune II. delicti admisi & III. ubi deprehenditur *Carpz. q. 110. n. 8.* Domicilii forum vocant, ubi delinquens habitat: Delicti admisi, ubi delictum perpetratum; & deprehensionis, ubi reperitur, licet delictum non sit factum ibi, nec ibidem habitat. Interest enim Reip. à quolibet magistratu loci delinquentes coerceri, qui tamen ad petitionem datis literis reversalibus & refulsis expensis, frequentius ad locum delicti remittuntur, de quâ remissione vid. plura ap. d. *Carpz. part. 3. q. 110. n. 48. & seqq.* Potestatem judicantis quod attinet variat,

variat illa ex instituto humano. Princeps enim, qui fons est omnis Jurisdictionis, derivat eandem quasi per rivulos in magistratus, pro arbitrio plus & minus concedens. Hinc enata in jure Rom. differentia inter Jurisdictionem, merum & mixtum Imperium, vid. l. i. ff. de jurisd. ibiq. D D. Ita hoc jure nemo poterat in criminalibus cognoscere, nisi cui merum imperium concessum erat. Hodiè jurisdictionem dividunt in Altam die Ober-Gerichte / & Bassam, die nieder oder Unter-Gerichte / ad illam causæ criminales, ad hanc civiles spectant. Ex hoc sequitur Judicem non rectè inquirere, nisi Juris dictio alta ad eundem pertineat *Conf. Carpz. prax. crim. Part. 3. q. 109. per tot.* ubi fusè de alta & bassa jurisdictione agit, quæ in medium producere pagellarum non patitur angustia.

§. 12 In nostro foro Deum fuisse Judicem competentem dubium planè non superest. Sive enim spectes forum Domicilii, sive delicti admissi vel deprehensionis; concurrat in nostris delinquentibus. Habitabant enim in paradiso, ibidem admiserunt delictum & ab ipso quoq; DEO sub umbra arborum latentes deprehensi sunt, prout hodiè frequentius accidit, ut triplex forum in uno concurrat delinquente, quorum tamen quodlibet seorsum posset sufficere. Multo minus de potestate Judicis ambigendum: Quippe tunc temporis non saltem incognita erat Jurisdictionum differentia, verùm si qua fuisset, penes hunc Judicentem fuisset. In hoc enim omnis radicata est Majestas, nec ab ullo dependet, nec ab alio in eundem derivatur potestas, ideoq; nec ullo modo potest circumscribi, sicut hodiè à Majestate fieri antea notavimus. Fuit igitur Judex competens tam ratione fori, quàm imperii, quæ duo Judicem competentem in causis criminalibus facere dicuntur *Carpz. d. q. 109. n. 2.*

§. 13. Procedendum nunc esset juxta §. 6. ad incarcerationem reorum, quam Judex non nisi præcedentibus judiciis decernit & si contra fecerit, poenam meretur. *Carpz. q. iii. n. 3.* Verùm quia judicium nostrum primà statim finiebatur instantia, incarceratione opus non erat, cum nec delinquentes, etsi voluissent, potestatem jus dicentis effugere potuissent. Utinam hodiè sic quoq; ad finem perducerentur causæ criminales, **Q**uestores & **J**udices
cum

cum apparitoribus ex reorum captura quæstum non quærent, uti fieri solet, imprimis quando subditi expensas conferre coguntur, secundum mores loci, quæ dicuntur die *Hender Gelder* / quasi expensæ in eum conferendæ, qui mox à carnifice trucidandus. Verum & potestas Iudicantium suspensa est, ita ut si iudex tutus esse velit, semel atq; iterum prudentes in consilium adhibere cogatur, tam quoad modum procedendi, quàm etiam ferendam sententiam, ita ut necessariò reus tantisper in carcere sit detinendus, donec causa legaliter ad finem perducatur. Eousq; igitur loco tolerabili custodiendus, ne elabatur & Iudicium fiat tandem elusorium. *vid. plur. de Carcere P. 3. q. III. ap. Carpz.* Quia itaq; statim ad sententiam poterat Iudex procedere, non erat necesse delinquentes mancipare carceri.

Idem §. 14. Incarcerationem sequitur inquisiti examen, quo iudex experitur, num reus delictum admiserit, an minus. Quam in rem Iudicii actuarius concipit articulos, ad quos singulos cogitur reus respondere. Debent hi esse I. pertinentes ad causam non alieni, II. clari & perspicui III. unicum saltem interrogatorium continentes, IV. Non captiosi; Qui adeò sunt necessarii, quod licet reus confessus sit in summa, delictum tamen factum articulis comprehendere debeat, ad quos inquisitus distinctè & categoricè affirmando vel negando tenetur respondere, quam responsionem verbotenus actuarius consignare debet, nec aliud verbulum, in quo fortè ambiguitas latere posset, substituere *vid. art. 148. in fin. ordinat. crim.* Nec hic procedendi modus à nostro iudicio alienus est, totum quippe examen interrogatione & responsione constat: Adam ubi lates? quis dixit tibi te esse nudum? nonne comedisti de arbore vetitâ? Et paulò post ad Evam? Cur tu hoc fecisti? Non quidem ad erat actuarius, qui consignaret, nec opus erat, apud DEUM enim omnia sunt præsentia, nec poterit quicquam memoriæ ejus subduci.

Idem §. 15. Cùm verò Inquisiti examinandi plerumq; ad negationem confugiant; Quis enim seipsum libenter reum faciat? iudex de probationibus sollicitus esse debet. Sæpè enim reus negat, ita tamen iudiciis est gravatus, ut pro innocenti minimè haberi possit. Hoc casu eò allaborare debet Iudex, ut, quantum fieri possit, veritas

veritas eruatur, ne delictum maneat impunitum. Debet autem probatio in causis criminalibus luce meridiana esse clarior. *Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 114. n. 5.* quia non de re levioris momenti, sed hominis sanguine agitur. Inde requiruntur testes idonei, numero sufficientes, directe neque dubitative deponentes, de quibus omnibus vid. *cir. quest. ap. Carpz.* In proposito casu probatio necessaria non erat, siquidem ad interrogatorium: *Nonne comedisti?* Adam confessus est delictum *Gen. 3. v. 12.* sicut & ipsa Eva inquisita confitendo sequebatur mariti vestigia *v. 13.* In confessos itaque nihil supererat, nisi condemnatio *l. 16. C. de poen.* Quod tamen cum grano lalis accipi velim, quia non ex quâlibet suâ confessione delinquens condemnari potest, cum multa sint, quæ eandem faciunt dubiam, qualia enumerat *Carpz. q. 115. n. 31.* ita ut etiam contra confessionem suam inquisitum ad defensionem admittendum esse statuatur *n. 30. ibid.*

§. 17. Illud probè notandum, in delictis occultis confessionem qualificatam ex Doctorum doctrinâ sufficere. *vid. Carpz. q. 60. p. 2. n. 5. ibid.* Illam verò ita putamus qualificatam, quæ confitentem reum facit, cum nullus innocens talia scire possit & in medium proferre. Si verò indicia concurrentia desint, ne quidem metu torturæ expressa ad condemnationem sufficit. *Carpz. p. 3. q. 113. n. 48.* multo minus quæ sub promissione indemnitate extorta *p. 3. q. 149. n. 14.* Nostrorum delinquentium putamus maxime indicia stabilitam fuisse. Confitebantur enim primò nuditatem, quam sine delicto non deprehenderant: Deinde quilibet laudabat auctorem delicti, Adam uxorem Evam, Eva serpentem, unde Judex aliàs omniscius, certus satis esse poterat delictum perpetratum esse à confitentibus.

§. 17. Licet autem reus sit confessus, idè tamen judex statim ad ejusdem condemnationem deproperare non debet, quia & huic in tali casu remedium deductionis innocentiae superest *Carpz. p. 3. q. 115. n. 31. 32. §. 33.* Quæ ipsi si non semper ad averrendam poenam, tamen ad ejusdem mitigationem prodesse potest. *ibid.* Defensio enim quæ in principiis Juris Nat. fundatur nulli in dè nec diabolo deneganda *Carpz. cit. loc. n. 2.* Quippe quæ summum meretur favorè, ita ut alii pro reo admittantur defensores; Judex ean-

dem supplere possit ex officio; Pauperi sumtus dentur ex publico; quavis parte iudicii inquisitorii possit suscipi; semel atque iterum repeti; Unicus audiatur testis; vel plures de credulitate deponentes; item conjecturae & praesumptiones admittantur; Et in genere ob favorem defensionis recedatur à juris Regulis. Quae omnia fusius deducit *Carpz. Cit. q. 115.* Haec defensio regulariter reo conceditur postquam ad articulos inquisitionales responderit, nisi forte pro avertenda inquisitione suscipiatur. Poterit enim inquisitus diversos intendere fines, ita ut interdum se defendat contra inquisitionem, interdum contra incarcerationem, saepe pro avertenda tortura, frequentius pro poena vel ejusdem mitigatione, prout prudenti Advocato visum fuerit. Hoc iudicio iustissimus iudex inquisitis defensionem denegare noluit, modo potuissent aliquid in medium adferre. Audiebat enim Adamum culpam in uxorem devolventem, sicut & Evam laudantem authorem serpentem. Verum sicut & mandans & mandatarius uterque versatur in delicto, ita alterius culpa alterum à poena liberare minimè debet. Hinc ex jussu Evae nec Adam, nec Eva ex mandato & persuasione serpentis excusari poterat.

§. 18. Peractis tam pro reo quam contra eundem probationibus, hodiè acta criminalia ad Collegium quoddam juridicum solent transmitti, ut sc. inde petatur sententia secundum acta concepta. Cujus rei dantur causae: I. quod iudices ipsi tales non sint frequentius, quales esse debent. II. Judicia exerceantur ab imperitis legum & III. quod causa sanguinis unius hominis iudicio committenda non sit *Carpz. q. 116. n. 11. 18. §. 20. ubi n. 26.* laudat privilegium Scabinatum Lipsiensi à D. Serenissimo Augusto datum, ejus vi solis Scabinis datum esse putatur quod ipsi soli in terris Electoratus Sax. de criminibus pronunciare possint, quod praxis tamen hucusque non comprobavit. In nostro casu sicut citatae deficiunt rationes, sic quoque necesse non erat aliunde petere de condemnatione consilium. Erat quippe Iudex, qui nullis patet affectibus, qui aequi bonique scientissimus, & in ejus summam perfectionem nullus cadit error, quapropter & ipse tuto ad condemnationis sententiam & executionem procedere poterat, quam nunc & nos prosequamur sequenti capite tertio.

CAPUT

CAPUT TERTIUM

De

Sententiâ, pœnâ, ejusq; executione.

§. 1.

SUPEREST ut judicii divini sententiam, pœnam & executionem consideremus. Postquàm enim delinquentes habitâ causâ cognitione confessi erant, supererat tantum sententia, pœna & ejus executio.

§. 2. In conceptione sententiæ sanctissimus Judex hunc adhibuit ordinem, ut qui primus autor erat delicti, etiam primas partes teneret in sententia. Sic serpens autor fuerat uxori ut peccaret, uxor v. marito; ita quoq; initium fecit DEUS à serpente *Gen. 3. v. 14.* postea pervenit ad mulierem *v. 16.* & tandem ad Adamum *v. 17.* Antequàm verò ad partes pœnæ serpenti injunctæ perveniamus, solvendum est dubium, cur judex non audiverit quoq; serpentem in judicio, cum tamen ejusdem habuerit rationem in sententiâ, ita ut imauditâ causâ videatur condemnatus? Ad quod, salvo tamen rectius sentientium judicio, repono, fecisse DEUM id, quod hodiè judex facere solet in casu, ubi delictum circa animal admissum; quod sicut rationis expertus est, ita quæstio & inquisitio planè pro frustranea habenda, cùm respondere non possit, interim tamen mentio ejus fieri solet in sententiâ *vid. prejud. ap. Carpz. q. 76. n. 39. 45. & 46. & passim adducta.*

§. 3. Pœnam quod attrinet, quam propriè in animal non cadere monuimus supra, expressit eandem Spiritus Sanctus *d. Gen. 3. v. 14 & 15.* & quidem juxta diversum respectum moralem, quo serpens considerari potest. Aut enim consideramus serpentem ut instrumentum, quo usus est diabolus ad decipiendos miseros homines, & sic pertinet ad eundem pœna *in vers. 14.* expressa. Aut consideramus serpentem, ut delicti primum authorem & diabolum, quo respicit eum pœna *vers. 15.* tradita, quæ secundum priorem ad serpentem non quadrat, sicut nec illa juxta posteriorem considerandi modum ad diabolum.

§. 4. Partes pœnæ serpenti indictæ, ut erat animal, sunt tres
I. Maledictio præ cæteris animalibus terræ II. ut super ventrem incederet

C 3

cederet

cederet & III. Terram comederet per dies vitæ *vers. 14.* Diabolo verò indixit perpetuas inimicitias cum muliere & ejusdem semine, quodq; conterere debeat eidem caput. Quæ omnia cum altioris sint indaginis & ad Venerandum Theologorum ordinem explicatio eorum pertineat, nostra non faciamus, sed eisdem discutienda & explicanda relinqvamus.

§. 5. Missis his, quæ de serpentis pœnis obiter saltem tangenda videbantur, accedamus ad sententiam ipsius delinquentibus hominibus latam. Sicut verò Eva erat, quæ prior peccaverat, ita & prima eandem nacta est *sc. v. 16. d. Gen. 3.* Partes pœnæ sunt: I. multiplicatio dolorum tam ratione conceptionis, quam partus. Deinde subjectio voluntatis, quæ ad virum transtulit in uxorem dominium. De priori juvenilis verecundia verba vetat facere; de posteriori monendum paucis I. ante lapsum fuisse inter conjuges æqualitatem, cum modicâ saltem subordinatione II. Translatum per lapsum esse in maritum dominium in uxorem. III. Hoc non esse omnibus modis absolutum, sicut domini est in servum, sed IV. extendere se hoc tantum ad res familiares & adhuc subordinationem respicere, quæ singulariter ulterius extendere nunc non vacat, plura discursus in cathedra dabit.

§. 6. Adamo indictas pœnas recitat *v. 17. & seqq sc.* maledictionem terræ, benedictionis denegationem, & culturam ejus admodum molestam. Ad illam paucis monendum, terram antea suâ sponte produxisse quæ ad hominum vitam erant necessaria *G 1. v. 12.* Ad istam, quod terra excolta, fructus uti fieri solet, non daret. Ad hanc, quod quemlibet hodiernum tangat, licet omnes non sint agros colentes, nemo tamen facile reperitur, qui suorum negotiorum expeditione non sudorem edat & sic pane suo vescatur.

§. 7. Circa has pœnas tria veniunt consideranda: I. quod plures videantur cumulatae. II. quod pœna principalis aucta cæteris minoribus. III. quod aliæ substituta, quam quæ in lege expressa erat, quæ res jus aggratiandi sapit.

§. 8. Quantum attinet primum, cumulationem pœnarum, nemo facile negabit & Adamo & Evæ plures fuisse indictas, qui modo sacrum textum inspexerit *Gen. 3. v. 16. & 17.* ubi articulatim recitantur. Ex quibus si à posteriori argumentari licet ad prius *sc.*
ad

ad delictum, plures pœnas etiam pluralitatem delictorum præsupponere, dicendum erit. Ea quippe Criminalistarum sententia est, quod cumulatio pœnarum locum denuum habeat pluribus delictis concurrentibus. *Carpz. p. 3. q. 132. n. 7. & seqq.* Quæ res sc. pœnarum cumulatio, non minimam peperit Criminalistis, tam in foro theoretico quàm practico, difficultatem, uti videre est ex illis, quæ ex variis authoribus congescit. *cit. loc. dict. Carpz.* quæ nostra facere pagellarum verat angustia. Si flectamus oculos in circumstantias facti nostri, unicum saltem apparet delictum sc. esus pomi, ex quo admiratio quæmpiam capere possit, cur sanctissimus Judex propter unum delictum diversas indixerit pœnas. Quapropter ego in allem pro pœnarum augmento circumstantias istas de partu difficili uxoris, de doloribus conceptionis, de subjectione voluntatis, de maledictione terræ, de denegatione fructuum &c. quàm cumulatione pœnarum accipere. Nisi fortè antecedentia delicti à primis hominibus perpetrati pro diversis delictis acceperis: Puta diffidentiam de mandato divino; mendacium quasi DEO attributum *v. 4. & 5. Gen. 3.* ad quæ serpens diabolicus induxerat miseros; quæ utiq; per se sunt gravissima delicta, hic verò tanquàm delicti antecedentia consideranda.

§. 9. Pro augmento igitur pœnæ habenda esse quæ *vers. 16. & 17.* enumerat, dixi §. præced. Licet enim pœna lege sit definata, ut in nostro casu, quæ & ideò dicitur ordinaria; negari tamen non potest, quin Iudex propter circumstantias eandem augere, minuire, inflectere vel etiam variare possit *Carpz. d. q. 132. n. 6.* Causas augmenti adduximus in fine præc. §. satis prægnantes, ex quibus facilè Iudex justissimus potuisset commoveri, ut duriozem indixisset pœnam, quippe in his summus latitat Legislatoris contemptus. Credimus igitur voluisse ipsum his præcedentibus augmentis delinquentium corpora fatigare & aptiora ad mortem naturalem reddere. Ita hodiè vel propter circumstantias delicti, vel quod frequentius admissum, vel plura concurrentia, solent in sententiis addi pœnarum augmenta, qualia in foro usu recepta I. Impositio trahæ die *Schleiffung art. 103. Ord. crim.* II. Impositio cadaveris delinquentis in rotam. III. Adustio foreipum candentium. IV. si reo prius crura & brachia frangantur rotâ quàm caput vel cor.

Wenn

Wenn einer von unten auf gerddert wird. De quibus agit *Carpz. P. 3. q. 128. n. 57. usq; ad fin.* Quæ omnia ideò recepta, quod homines malefici non tam mortem, quàm genus mortis abominentur per *Ord. Crim. art. 130. §. 137.*

§. 10. Ex his facilè claret, quid de mutatione pœnæ sentiendum. In lege enim dictam erat, quo die comederis, morte morieris *Gen. 2. v. 17.* Ad quam si retuleris *Gen. 3. v. 16. §. 17.* expressas, videtur prima fronte pœna in lege indicta in aliam transmutata. Sed si respexeris *ad vers. 19. d. c. 3.* ejusq; verba; *donec revertaris in humum*, facilè deprehendes pœnam in lege scriptam, delicto fuisse applicatam. Quid enim aliud est. *in terram reverteris*, quàm *morte morieris*. Sunt ergò illa, quæ in *vers. 16. §. 17.* tradita, mortis antecedentia & pœnæ augmenta. Cœterum ipsa pœna: *morte morieris*, duas complectitur partes, mortem temporalem & mortem æternam, ad illam respiciunt *verba vers. 19.* Hæc per promissionem Salvatoris ejusq; meritum fide apprehensum mitigata & ex jure aggratiandi remissa est. Nam ut homo morte moriatur naturali (quam & aliquo modo Enoch & Eliam sensisse putamus) est juxta DEI immutabilem justitiam, secundum quam & morte moriendum erat æterna omnibus, nisi Christi meritum satisfacisset justitiæ, idq; ex invincibili misericordiæ divinæ amore, cui pro hæc ineffabili gratiâ sint laudes in secula sempiterna.

§. 11. Illud paucis monendum, pœnam mortis fuisse hic applicatam tantum marito, non uxori. Verùm illud fortè factum, quia huic promulgata lex, quæ tamen & ipsam mulierem tenebat, uti ipsa fatetur *Gen. 3. v. 3.* Inde colligimus, quod pœna indicta marito etiam pertinuerit ad uxorem Evam. Imò eandem expressè DEUS neq; in marito repetere voluit, quia ipsa lex hanc decernebat, sed enumeravit saltem antecedentia vel pœnæ augmenta, quia hæc aliàs erat certa. Videmus præterea neq; Evam neq; ullam uxorem ex primis hominibus hodiè esse superstitem, & tam fœminas quàm masculos quotidiè mori. Quo pertinent ista, quæ *cap. 1.* adduximus, legem non obligare tantum illos, qui in Rep. existunt, cum fertur, verùm etiam omnem eorum posteritatem. Licet igitur lex ante creationem Evæ lata videatur *Gen. 2. v. 17.* ad eandem tamen nihilominus pertinuit, & ideò quoq; pœna ad ipsam applicanda. §. 12.

in iudicio §. 12. Igitur de obligatione legis ad posteros dubium non
superest, & consequenter etiam de obligatione ad poenam, sc. si
contra legem quicquam admiserint. Cur autem Dominus aliàs
misericors etiam voluit innodare poenæ posteros Adami, qui ipsi
delictum ejus non admiserunt, ratio alia non potest reddi, quàm
quia exsurgunt ex semine peccatò contaminato, quod comitatur
omnes sicut lepra ossa infecti. Ex hoc omnes capaces sunt poenæ
mortis & ex hoc coetera peccata sequuntur. Paululum aliter se ha-
bet res in crimine læsæ Majestatis, quo ex moribus gentium sæpè
patiuntur, qui non peccaverunt, sed delinquentes sanguine sal-
tem contingunt. In hos quippe non cadit delictum ergò propriè
nec poena, sed habetur passio ista pro infortunio, sc. ratione con-
sanguineorum delinquentis. Licet inter modernos non pauci re-
periantur, qui animadversionem in consanguineos planè impro-
bent, quibus & exempla recentiora respondent. Accuratè ergò
gem in nostro casu cecinit, quisquis fuit.

Adam primus homo damnavit secula pomo.

Pro solo pomo jam luit omnis homo.

§. 13. Superest, ut paucis videamus iudicium cum ipsa
executione. Iudicium quod attinet, moribus passim receptum, ut
cum solennitate quâdam constituatur, daß das hochnoth peinliche
Halß. Gerichte geheget werde / quâ de re poterit videri
Carpz. P. 3. q. 136. in prax. crim. Cujus rei potissima solet reddi ra-
tio, quod finis poenarum sit emendare exemplo delinquentium
alios, ne & hi imposterum prolabantur in delicta. Quem credide-
runt ita commodè posse obtineri, si executio poenarum fiat pu-
blicè. Unde signo dato solet convocari populus; Judex cum suis
assessoribus apparet in loco consveto, recitantur formulæ solen-
nes interrogando & respondendo; adducitur delinquens, accu-
satur, respondet confitendo delictum, frangit judex baculum &
sic nocens deducitur ad locum supplicii. Quæ solennitates adstan-
tibus horrorem incuriunt, imprimis ubi proclamatio rei das be-
schreyen oder Zetter Geschrey usu receptum est. Tale quidem in sa-
cris non reperitur nostris delinquentibus adhibitum, partim quod
hæc solennia, uti dictum, sint hominum moribus introducta,
partim

partim quod finis, quem intendunt, non potuerit per ea obtineri, quia præter delinquentes alii emendandi non erant, qui potuissent convocari.

§. 14. In ipsâ executione deprehendimus I. indigentiam v. 21. cui ex infinitâ commiseratione remedium quæsitit DEUS, vestimentis compositis. Quæ dependebat ex illis, quæ indicta erant hominibus v. 16. & 17. sicut & omnia cœtera, quæ diversa ex peccato hominibus evenire possunt, eisdem comprehenduntur. Ante lapsum enim sicut nuditas non injiciebat pudorem *Gen. 2. v. ult.* ita nec denotabat indigentiam, quam in statu integritatis omninò abfuisse credimus. II. Secuta est DEI de commisso delicto exprobratio v. 22. & tandem III. ex horto Paradisiaco ejectio cum appositione custodis v. 23. & 24.

§. 15. Hanc executionem si spectes, pœna videtur delicto accommodata Relegatio, quæ nec respondet illi *Gen. 2. v. 17. qvo die comederis, moriturus es*: neq; huic: *Terra es, & olim terra eris. v. 19. Gen. 3.* Verùm verba legis *Gen. 2. v. 17. & Gen. 3. v. 19.* sunt cum effectu accipienda, sc. qvo die comederis, taliseris, qui aliquando moriturus est. Et si Proloplasti peccantes debuerint sustinere augmenta pœnarum *Gen. 3. v. 16. & 17.* indicta, in continenti non erant perituri. Voluit igitur, ut tandem satisfaceret justitiæ divinæ morte delinquentium, ex misericordiâ verò ad vitam æternam voluit conservare & multiplicare genus humanum, ideoq; ultimam executionem in quolibet subjecto ad beneplacitum usq; differt.

§. 16. Cœterum ut ad hanc aliquid ex judicio publico & solenni transferamus, sciendum toties, quoties in homine fit executio, ut discedat ex hâc vitâ, signum dari reliquis in civitate, urbe, oppido vel pago constitutis, companâ nempe mortis indice; eum in finem ut cœteri ex mortalitatis exemplo mori addiscant, præsertim cum hâc executione judiciû finitum quidem sit in hoc seculo, sed præterea aliud sit expectandum in futuro, qvo quilibet hominum aut absolutoriam, aut condemnatoriam accipiet.

§. 17. Hæc sunt, Lector cujuscunq; ordinis honoratissime, quæ ad Judicium à sanctissimo Numine in primos delinquentes habitum

habitu, ex juribus & observantia hodiernis accommodare pro
ingenii modulo potui. Non puto me hoc Academico exercitio ali-
quid vel in benignissimū meū Creatorem, vel in Venerandum The-
ologorum ordinem vel in Magistratum politicum admisisse; sed
potius exemplo justissimi judicis pleraq; comprobasse, quæ ex fo-
ro huc adduci potuerunt, Secutus sum fateor in plurimis vestigia
Domini Carpz. JCTI longè celeberrimi, vel quod alii libri &
commentarii ad manus non fuerint, vel quod ductu Nobilissimi
æq; ac Consultissimi Domini Præsidis in principiis criminalibus
ex hoc autore informationem acceperim, vel quod eundem pro
compendio cæterorum extantiorum habuerim, De reliquo mea
intentio eò fuit directa, quia cum in finem damus operam juri,
ut addiscamus Jus ad facta obvenientia accommodare, more lau-
dabili & recepto, patriæ darem specimen eruditionis, quo ipsa vi-
res ingenii percipiat, meq; clientulum benevolentia com-
mendatum habeat.

SOLI JUSTISSIMO JUDICI GLORIA.

AD

CLARISSIMUM Atq; DOCTISSIMUM

DN. ANDREAM NEUMANNUM
Discipulum per aliquot annos diligentissimum,
Fautorem plurimum dilectum.

PRÆSES

Qui Patria & Patronis Studiorum rationem publico specimine
reddere satagunt, Vel integrum Juris Titulum explicare sus- *vid. Re-
cipiunt; Vel ad Logem quandam industriã accommodant; Vel lat. ex
ad certam materiam, quæ passim apud Dd. leguntur, colligunt; Quæ res Parn.
plus laboris quam ingenii Trajano Boccal. * habere videtur. Tibi, Mi Cent. 1.
NEUMANNE nihil horum placuit; sed elegisti viam, quã incedere, & Rel. 23. p.
sibi honorificū & Rei publicæ Salutare. Quorsum enim tendit Studium m. 43.
nostrum

nostrum Juridicum, quam ut jus ad facta in civili Societate occur-
rentia ritè applicare maturè addiscamus, & sic eo melius partibus Rei-
publ. aliquando nobis credendis fungi valeamus. Hunc igitur laborem
fecisti tuum, dum, quem ex principiis Politicia & moralibus, praefer-
tim verò Juridicis comparasti apparatus, ad factum accommodas,
ad factum omnibus modis perfectissimum, & ex quo pleraq; quae pro-
cessus inquisitorii sunt, lucem roburq; accipiunt. Si in ceteris ali-
quando ita fueris felix, à justitia & veritatis tramite vix aberrabis.
Illud videtur super esse, ut Patronis tuis Studia quae me duce perfecisti,
commendentur, quod lubens etiam facerem, nisi frustraneum visum es-
set. Sicut enim Vino vendibili haec a opus non est; ita virtus se ipsam
commendat: Et quicumq; specimini huic lectionis honorem habuerit,
de ingenio viribus facile judicabit, quia te & Theoretici & practici juris
haud ignarum esse, ad oculos ostendit. Vale Dab. è Muséo

VII. Cal. Maj. Anno recuperata Salutis
M.DC. LXXXI.



ULB Halle 3
003 633 195




TA → OL

WMP







173.

1687 17
500

DISSERTATIO JURIDICA
sistens
DEI INQUISITIONEM
IN

AD AMUM & EVAM,
DELINQUENTES

Principiis Juridicis illustratam.

Quam

Indultu Magnifici FCTORUM Ordinis

3/2

IN
ILLUSTRI ACADEMIA WITTENBERGENSI
PRAESIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC CON-
SULTISSIMO,

DN. GODOFREDO NICOLAO
Schleenstein / J. U. D.

Domino Patrono, ac Studiorum suorum Promotore
ateternum de venerando


In AUDITORIO FCTORUM

d. 30. April, Anno M. DC. LXXXI.

Placidae Eruditorum disquisitioni
subjicit

4.

ANDREAS Neumann / Zittaviâ-Lusatius.



Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.